

Anonymus Parisinus
‘Annibal iurans ad aras’

Tragoedia
(1704)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
November 2012

<Personae>

Amilcar	Carthaginiensium Dux
Annibal	Amilcaris Filius
Hanno	Carthaginiensium Dux
Himilco	Hannonis Filius
Madherbal	Summus Sacerdos
Cornelius	Legatus Roma Carthaginem missus
Fabius	primus pacis obses
Flaminius	alter pacis obses

Argumentum

Fama est Annibalem annorum novem pueriliter blandientem patri Amilcari, ut duceretur in Hispaniam, cum perfecto Africo bello exercitum eo traiecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris iureiurando adactum se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. (Tit. Livius Lib. XXI).

Scena Carthagine in Vestibulo Senatus

Actus primus

Amilcar cum numeroso exercitu in Hispanias proficiscens, inspirat Annibali odium in Romanos suum; contra suum in Romanos amorem inspirat Himilconi Hanno Dux Carthaginensium alter. idem nunciat Amilcari venisse Roma Cornelium confirmandae pacis legatum. oritur Amilcarem inter et Hannonem contentio, utrum pax iuuet an bellum. subit interea Cornelius, qui geminos pacis obsides Fabium et Flaminium offert et in mutuae pacis signum, ut nova instituantur sacra et Romam obses Annibal mittatur, petit. qua re commotus Amilcar pacem abrogat penitus et iratus recedit. Hanno pacis studiosus suam apud Senatores et apud populum operam Cornelio pollicetur. Annibal, qui adventu Hannonis, volente patre, abierat, redit una cum Himilcone; orta que inter pueros Tyrios et Romanos controversia, an Roma Carthagini an Carthago Romae praestet, multa tum in Romam, tum pro Carthagine Annibal congerit patriamque longe anteponit.

Actus secundus

Simulata pacis necessitate Amilcar Annibalem alloquitur; Annibal, qui odium in Romanos iam inde ab incunabulis hausit, Romam abire pertinaciter recusat. tales sensus aperta laetitiae significatione probat in nato pater. tum Cornelius advenit et, cessasse Amilcarem primum ratus, mox intelligit perseverare in odiis; ipse puer non dubitat Legato insultare et minari Romae. re postea maturius agitata Cornelius cum nihil proficere se animadvertit, intentat Amilcari minas et Romam redire cogitat. iamque parat exire e Senatu, cum occurrit Hanno natum pacis obsidem offerens. Hannonem Amilcar de populi seditione accusat, crimen removet a se Hanno, et cedere Amilcar cogitur. itaque Hanno victa Amilcaris autoritate pacem arbitratur sacris iam posse sanciri. tum Himilconem suum, qui non sine dolore Carthaginem deserit, Cornelio commendat; Cornelius vicissim Hannoni commendat Romanos pueros, qui de Annibalis ferocia conquerruntur. quibus auditis querelis exit Hanno, ut puerum ferocem sine cunctatione Cornelio tradat et sibi Summum Sacerdotem devinciat.

Actus tertius

Annibal solus locum quaerit, ubi invisus lateat et furori hostium sese substrahat; modo sanctam Patrum Curiam ingeminat, modo Iunonem invocat Carthaginis patronam. adest ex improvise pater, qui auget nati sollicitudinem amissa omni salutis spe et simul declarat in Diis tantum fiduciam esse collocandam, verum addit favere consiliis Summum Sacerdotem, quod est spei loco optimum. Madherbal Supremus Iunonis Sacerdos coram Amilcare videtur in bellum inclinare; sed redeuntibus Hannone et Cornelio bellum reiicit et in pacem inclinat. ambigitur deinde utrum eligendum; quare Deorum voluntas investiganda est sacris, quae dum peraguntur, praecleara Annibalis facinora Sacerdos canit. quod vaticinium Amilcar in bonam, in malam partem Hanno accipit. Cornelius tot moras iniquo animo ferens, urget Madherbalem, ut, quid velint Superi, tandem loquatur. at cum responsi nihil daret, pueris imperat, ut iureiurando pacem astruant. iurant pueri Romani pacem; at bellum Annibal iurat, quod iuramentum Sacerdos ut ratum fecit, Cornelius bellum Carthagini declarat. fuit haec secundi belli Punici causa et origo.

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt das 6-seitige Programm der Pariser Aufführung von 1704 mit dem Titelzusatz „dabitur a selectis secundanis in regio Ludovici Magni collegio societatis Jesu. Die Mercurii 30. Januarii 1704. hora post meridiem secunda“ und einer Übersicht über die „Actores“. Eine vollständige Ausgabe des Stückes selbst ließ sich leider bislang nicht nachweisen.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets *i* für *j* gedruckt. Im Darstellerverzeichnis wurde *Carthaginem* statt *Cartaginem* geschrieben, im 1. Akt *bellum, pater, patria, pax* klein wie in den übrigen Akten, im 3. Akt *sese* statt *se se*. Unnötige ‘Kommata’ vor *et, atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt. Auf eine detaillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktion sei hier jedoch verzichtet.